



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Vita Romani Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

tiam pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præsciebant. Vnde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoscimus, errorem autem in fide per Stephanum pontificiam auctoritatem legitime vsurpantem definitum vel approbatum fuisse constanter pernegamus; quamquam nihil sedi apostolicæ præiudicaretur, si daremus inuasorem non legitime electum, sed intrusum pseudopontificem in articulis fidei asserendis aberrasse. Huius temporibus, post Arnulphum regem Germaniæ pediculari morbo extinctum, Vvidonem imperatorem obiisse testatur Luitprandus lib. I. cap. 9. Stephanus sedis apostolicæ inuasor, ab optimatum factione aduersus Adelbertum Etruriæ principem præuolente detrusus est in carcerem anno Christi 900. & postquam sedem apostolicam sex annis tenuisset, in eodem carcere strangulatus Deo vindice exitu infami vitam clausit. *Hæc ex antiquis monumentis & diplomatibus de Stephano Baronius tom. 10. annalium.*

ANNO
CHRISTI
897.ANNO
CHRISTI
900.

• CONCILIA BV LV M ROMANVM
IN CAUSA FORMOSI PAPÆ CELEBRATVM
anno Domini DCCCXCVII.

NOTA.

Acta Con-
ciliabuli.

* *Conciliabulum.*] In hac Pseudosynodo, cuius acta recitantur infra in Concilio Romano sub Ioanne IX. episcopi & cardinales presbyteri, qui summo odio Formosum prosequerentur, Sergius nimirum, Benedictus, atque Marinus, alique plures homines perditissimi & pontificiæ sepulturæ violatores in vnum congregati, ea quæ supra de Formoso enarrata sunt diiudicarunt. Baronius anno 897. numero 6.

VITA

ROMANI PAPÆ.

ANNO
CHRISTI
900.

Romanus
quando
pontifex
factus?

ROMANVS patria Galefianus, patre Constantino natus, factus est pontifex anno Domini 900. Sedit menses quatuor & dies viginti. Acta Stephani contra Formosum habita plane improbauit, & Ludouicum quartum

THEODORI PAPÆ II. VITA. 691
filium Bosonis post fugatum Berengarium, imperatorem
coronauit. *Luitprandus.*

VITA

ANNO
CHRISTI
901.

THEODORI PAPÆ II.

THEODORVS huius nominis II. patria Romanus, ex
patre Photio, surrogatus est Romano papæ, anno
Domini 901. tempore Ludouici quarti imperatoris oc-
cidentalis; sedit tantum diebus viginti. Quonam autem
die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum fides
ex diuinatione comparata vacillat.

Theodorus
II. quando
papa fa-
ctus.

VITA ET EPISTOLÆ

IOANNIS PAPÆ IX.

IOANNES IX. patria Tiburtinus, patre Rampoaldo
natus, professione monachus, & ordine diaconus,
post obitum Theodori factus est pontifex anno Domini
901. sub Ludouico IV. imperatore. Cum Berengarius
dux Foroiulienfis captum Ludouicum imperatorem o-
culis simul cum imperio priuasset, & cum armato exerci-
tu Romam profectus coronam imperii ab hoc pontifice
violenter extorsisset, nomenque imperatoris sibi tyranni-
ce vindicasset, post obitum eius Lambertum VVidonis
filium ante annos vndecim a Formoso papa imperatoria
corona donatum Romam vocauit, ibique Synodali iudi-
cio declarari mandauit, Berengarii & Arnulphi corona-
tiones nullas esse & illegitimas, vtpote quæ vi extortæ pe-
nitus sint abrogandæ: Lamberti vero, in quem Formosi
papæ & successorum eius libera vota conspirassent, legi-
timam & ratam esse habendam. Hac occasione principes
Italiae a Berengario deficientes, Lambertum pro rege &
imperatore agnouerunt. Cumque ex Romanis plurimi
Berengario fauerent, eique contra Lambertum adhæren-
rent, Ioannes papa non satis tutum se iudicans si Romæ
maneret, profectus est Rauennam, ibique acta Stephani
contra Formosum per Synodum irrita reddidit, hisque

Ioannes IX.
quando pa-
pa factus.

Berengarii
& Arnul-
phi corona-
tiones a
pontifice
annullan-
tur.

Concil. Tom. 24.

S III ij